

minium & possessio pecuniæ, etiam si non moveatur: & subjungit textus rationem, *animo enim capit possidero*: ergo patet, quod pecunia erat in absentia; quia si in præsentia, animo & corpore possideret, & similiter est ibi casus, quod tantum erit translata possessio civilis, cum textus dicat, *animo enim capit possidere*: ergo solum civiliter & illa civilis quaeritur eo modo quo supra declaravi.

71

Item adde, quod superior conclusio & doctrina debet intelligi, quando dominus concedens titulum sciebat rem illam esse penes acquirentem; secus autem si ignorabat: ista est Glossa singularis in *leg. Quadam mulier. ff. de Rei vindicatione. in gloss. penultim. in fin.* quam dicit singularem Roman. in *dict. leg. Certi conditio. §. fin.* & ibi Jas. 2. column. similis Glossa, quam DD. non allegant, in *dict. leg. Hæc si res. ff. de Rei vind. in gloss. 1.* ubi ponit notabilem rationem, scilicet, ne sit occasio quod dominus decipiatur, & eo invito careat sua re & alteri applicetur: argumento text. in *leg. Nec quasi, eod. titul. de rei vindic.* cujus verba sunt: *Ne in potestate iniquæ sit per rapinam ab invito domino rem injusto pretio comparare*, quam Gloss. ibi sequuntur Bartol. & communiter DD. in *dict. leg. Hæc si res*, & illam Gloss. ad hoc dicit singularem Aret. in *dict. leg. Quod meo. 2. column. num. 6.* quo casu, quando perveniat in notitiam domini, erat in potestate ejus restituere pecuniam quam accepit, & recuperare suam rem: ita singulariter tenet & declarat Paul. de Castr. in *leg. 1. ff. Pro emptore. 2. column. in fin.* argumento text. in *leg. Ei qui furti actionem in fin. ff. de Furtis.*

Item adde, quod in tantum est verum, quod si ex titulo vel causa habili ad translationem domini dimitto rem quæ est apud te, transfertur in te dominium, vel usucapiendi conditio; ut procedat, etiam si illam rem prius non haberes ex mea voluntate, sed haberes à quolibet alio tertio: textus est notabilis & expressus in *leg. Non solum. §. Quod vulgò post principium*, infra, *de usucap.* & ibi ad hoc notat Bartol. Paul. Cuman. & communiter DD. & idem Bartol. ubi notabiliter loquitur in *leg. Cum solus. 2. column. num. 4. versic. Secundò casu, eodem titul.* & ibi Paul. *fin. column. num. 5.* Imol. 2. column. ante medium, & notat ibi Cuman. 2. col. ante medium, facit etiam text. in *leg. 2. §. Si pro emptore*, text. in sui generalitate, in *leg. Qui bona fide. §. fin. ff. de Acquirend. posses. text. in leg. Ejus rei. ff. de Rei vindicat.*

Sed attende, quod contra superiorem conclusionem & communem doctrinam, quæ habet, quod ille penes quem res dimittitur mediante aliquo titulo, statim acquirit dominium vel usu-

cipiendi conditionem sine alia traditione, facit ille singularis subtilis text. in *leg. Sive apud acta, versic. 1. Cod. de Transact.* ubi probatur, quod si quis petit à Possessore rem vel fundum, & fiat inter eos transactio, ut aliquo dato, actor dimittat rem penes reum conventum, & discedat à lite; tunc non transfertur dominium, si actor erat dominus, nec usucapiendi conditio, si non erat dominus, sed tantum paratur reo exceptio, si amplius ille fundus repetatur ab actore vel successoribus ejus: quod probat ibi textus dum dicit, *tamen rerum vindicatione pendente*: quia si, facta transactione & litis desistentia, remanet actori rei vindicatio, ergo & dominium, ut in *leg. In rem actio. ff. de Rei vindicat.* & ad hoc illum textum notat ibi Gloss. ordinaria in verb. *Pendente*, Bartol. 1. *lectur. in fin. Angel. 2. column. num. 4.* Bald. *penultim. column. num. 9.* Paul. 1. *column. num. 4.* Salyc. 6. *column. num. 15.* Jas. 3. *column. num. 14.* idem probat textus singularis & subtilis in *leg. Si pro fundo versic. fin. eod. titul.* ubi dicit text. quod si actor ex causa transactionis dimisit rem apud reum conventum, & postea res illa evincatur ab aliquo tertio, non tenetur actor de evictione; qui de jure teneretur, si ex natura contractus & dimissionis rei veniret translatio domini: & ad hoc illum textum notat, & dicit perpetuo menti tenendum Bartol. in 3. *notabil.* Bald. in *ultimo notabil.* & ad hoc dicit eum singularem Angel. *ibi, in princ.* Paul. 2. *col. num. 7.* & dicit ibi unicum Alexand. 2. *column. ultimo not.* & dicit unicum Jas. *penult. column. 6. not.* & eum dicit singularem ibi Jacob. de Sancto Georgio *ultim. not.* & ad hoc illum textum dicit unicum Bald. in *cap. 1. in fin. de Controversia inter Vassallum & alium de benefic. in lib. 2. Feud.* & dicit unicum Jas. in *leg. fin. Cod. de Jure emphyt. num. 122.* & per ista tenet expressè Glossa ordinaria in *leg. penultim. Cod. de Usucap. pro empt.* & Bartol. Alber. Pet. Cin. Bald. Salycet. Paul. & communiter DD. Glossa in *leg. Stipulatio ista in princip. versic. Sed quatenus in gloss. fin. in princip. ff. de Verbor. oblig.* quam ibi notat & commendat Ang. 1. *column. num. 4.* & ibi Imol. 3. *column. versic. Et notas diligenter.* Roman. 4. *column. num. 10.* Jas. in §. *Si quis fortè, ejusdem leg. 2. column. num. 7.* dicens esse singulariter notandum pro Principibus & Regibus facientibus ad invicem pacem, & promittentibus in capitulis non movere controversiam de castellis, locis, vel oppidis per eos possessis; quia per hoc non videtur translatum dominium de uno in alium, nec possit agi de evictione. Facit etiam text. in *leg. Si super possessione, text. in leg. Si quis major, eodem titul.* ibi:

ibi: *Et rerum proprietate careat*, & per illum textum in *dict. leg. Si pro fundo*, ita tenet & declarat Bartol. in *leg. Naturaliter. §. Nihil commune. ff. de Acquirend. posses. 3. column. post medium, versic. Pro declaratione hujus lecture* & ibi Aretin. 4. *column. in fin.* Socin. 9. *column. versic. Secunda conclusio.* Alexand. 13. *column. num. 39.* Jas. 13. *column. num. 57.* Ex quibus etiam resultat verus intellectus & declaratio ad textum in *leg. Postquam liti, Cod. de Pactis*, ubi habetur, quod si quis renuntiat liti & causæ, amplius ad eam redire non potest, ut non transeat dominium reo, sed tantum quaeratur sibi exceptio: ita Bartol. & DD. in *dict. §. Nihil commune in locis, columnis & numeris allegatis.* Confirmatur superior conclusio & decisio per text. quem reputat ibi singularem Bald. in *leg. Si te, Cod. de Ingenuis & manumiss.* ubi probatur, quod ille qui renuntiat, non videtur fateri adversarium habere jus: Commendat etiam per notata Alexand. in *dict. §. Nihil commune 14. col. num. 39.* Jas. *num. 58.* Sed respondeo notabiliter, quod superior conclusio & doctrina procedit & habet locum quando res dimittitur penes aliquem ex causa & titulo habili ad translationem domini, ut venditionis, donationis, vel similis: secus tamen est quando dimittitur ex causa vel titulo non habili ad domini translationem; quia tunc non transfertur: transactio verò, per quam dimittitur res apud reum conventum, non est titulus habilis ad translationem domini; quia actor & dominus, qui ex causa transactionis rem dimisit: non intendit à se abdicare dominium, sed tantum à lite recedere, ut in *leg. Fratris, Cod. de Transact.* & ille qui retinet rem, retinet ut propriam, & non ut rem actoris, & sic non dicitur ab eo causam habere: unde, meritò dominium non acquiritur, argumento text. in *leg. 3. §. Subtilius. ff. de Condit. ob causam*, & in expressò illam solutionem & rationem, licet non sic declaratam, ponit Bald. in *dict. leg. Si pro fundo in fin. Cod. de Transact.* & notabiliter Paul. de Castr. *ibi, fin. column.* ubi dicit, ista esse subtilia & singularia: & tenet communiter ibi DD. in *leg. penult. Cod. de Usucap. pro empt.*

Ex qua subtili & notabili solutione & ratione 1. infero, quod talis possessor, penes quem res fuit dimissa ex causa transactionis, si cadat à possessione, non poterit agere rei vindicatione contra tertium possessorem, nec contra ipsum actorem & dominum, si sine vitio res ad eum pervenit; cum non fuerit dominium ex prædicta causa translatum: argumento text. in *leg. In rem actio. ff. de Rei vind. & in leg. Si quis emptionis. §. Quod si quis eam rem. Cod. de Præscr. 30.*

Anton. Gomez, ad Legem Taur.

vel 40. annorum. Similiter, si actor qui dimisit rem non erat dominus, non erit translatum quasi dominium in eum, penes quem res fuit dimissa: unde, si cadat à possessione, non poterit agere Publiciana; quia ille titulus qui non est habilis ad acquisitionem domini, nec ad causandam rei vindicationem, quando est habitus à domino, non est habilis ad acquirendum quasi dominium, nec causandam Publicianam, si est habitus à non domino: textus est, qui istam regulam ponit, in *leg. Quacumque. ff. de Publician.* & ibi Bartol. Alber. Bald. & communiter DD. & probat aperte text. in *leg. 1. Cum sex legib. sequentib. eodem titul.* tenet Gloss. in §. *Sed iste quidem, in verb. Ex justa causa, Inst. de Action.* & ibi communiter DD. Bartol. in *leg. Cum vir, 2. col. in fin. ff. de Usucapionib.*

Secundò infero, quod ille penes quem res dimissa est virtute transactionis, non poterit usucapere vel præscribere, concurrente tempore legitimo & bona fide: ista est Glossa notabilis & ordinaria in *leg. penult. Cod. de Usucap. pro empt.* in *gloss. una, in princip.* & istam tenet ibi Azor. in *summa illius titul. fin. column. in fin. n. 29.* Petr. Cin. Bartol. Alber. Angel. Bald. Salyc. Paul. & communiter DD. istam conclusionem tenet Gloss. ordinaria in *leg. 1. ff. Pro emptore, in gloss. 1. in princip.* & ibi Bartol. in *princip.* Alberic. Angel. Imol. Paul. de Castr. & communiter DD. Cujus ratio est: quia in casibus, in quibus causa vel titulus habitus à domino non transfert dominium, in eisdem causa vel titulus habitus à non domino non debet transferre usucapiendi conditionem: argumento textus & ejus regulæ in *leg. Clavibus, in fin. ff. de Contrah. empt.* & in hac ratione se fundant omnes DD. ubi supra.

Tertiò infero, quod si res non dimittitur ex causa transactionis, sed potius datur & traditur ab uno alteri: ut si actor qui movebat litem, vel sperabat movere, ex causa transactionis tradidit reo aliquam rem pro recuperanda re petita; vel è contrà, reus pro retentione rei tradidit actori aliquam rem: ille cui fit traditio efficitur dominus, si tradens erat dominus; si verò non erat dominus, poterit usucapere vel præscribere tamquam si alio legitimo titulo traderetur: ita probat text. expressus; & iste est ejus proprius casus, in *leg. penultim. Cod. de Usucap. pro empt.* cujus verba sunt: *Ex causa transactionis habentis justam causam possessionis usucapere possunt*, & ita tenet & intelligit ibi Gloss. ordinaria, & communis opinio DD. & tenet & declarat Bartol. Paul. & communiter DD. in *dict. leg. 1. ff. Pro emptore*, & pro ista conclusione facit text. singularis & expressus in *dict. leg. Si*

pro fundo, *Cod. de Transact.* & ibi tenent communiter DD. ex eo, quia hoc casu cessant rationes primæ impeditivæ, quas supra posui.

Quarto infero, quod si ille qui dimittit rem, cedat possessori penes quem res dimittitur omne jus quod sibi competit in illa re, transfertur dominium, si dimittens erat dominus, vel usucapiendi conditio, si non erat dominus: ita singulariter Bartol. *in dict. leg. 1. ff. Pro emptore, 1. column. in medio Alb. in fin. Angel. in leg. 1. & Bald. in dict. leg. penultim. de Usucap. pro emptor. num. 2.* idem tenet expressè Bartol. *in leg. Ejus rei. ff. de Rei vend. facit bonus text. & quæ ibi notant DD. in leg. Emptor. fundi. ff. Pro emptore.*

Quinto infero, quod si res non dimittitur ex causa transactionis, sed ex eo quod possessor solvit litis æstimationem non restituendo rem, transit dominium & usucapiendi conditio; quia talis causa inducit titulum similem emptioni & venditioni: textus est expressus, qui sic debet intelligi, *in leg. Cujus rei. ff. de Rei vend. text. in leg. 1. ff. Pro emptor. text. in leg. 3. eodem titul. cujus verba sunt: Litis æstimatio similis est emptioni, text. in leg. Sed & si res. ff. de Publiciana.* Et differentia realis & propria inter litis æstimationem & transactionem, est: quia litis æstimatio est, quando jus partis recipientis æstimationem erat certum & liquidum, licet esset lis; ut si petatur executio sententiæ vel instrumenti, & reo convento non restituente, solvat actori litis æstimationem; tunc illa solutio & receptio pretii est litis æstimatio, & assimilatur emptioni potius quam transactioni: si verò lis esset dubia, & aliquo recepto, dimittatur res apud reum possessorem, non est litis æstimatio, sed transactio: ita in specie declarat Bartol. *in dict. leg. 1. ff. Pro emptore, & ibi Paul. de Castr. & communiter DD.*

73 Sexto infero, quod si ab illo penes quem res dimittitur ex causa transactionis, res sit evicta à tertio vero domino, actor qui rem dimisit aliquo recepto, non tenetur de evictione: textus est expressus & formalis *in dict. leg. Pro fundo, in versic. Si tamen ipsa res, Cod. de Transact. & ista est ejus principalis decisio, & ad hoc notat communis opinio in locis supra allegatis: secus tamen est, si res daretur vel traderetur ab uno alteri, etiam ex causa transactionis; quia tradens teneretur de evictione, ut est textus ibi, *in 1. part.* Et ratio hujus est: quia ita demum quis tenetur de evictione, quando concessit titulum habilem ad translationem dominii; alias verò non.*

Attende tamen valde singulariter quod licet in omnibus superioribus ita se habeat co mmu-

nis opinio; tamen probabiliter dici posset, quod ille qui rem dimittit ex causa transactionis, transferat dominium vel usucapiendi conditionem in eum penes quem fuit dimissa; quia videtur titulus habilis ad hoc, nec est quod repugnet: & ita potest intelligi textus, qui generaliter loquitur, *in dict. leg. penultim. Cod. de Usucap. pro empt. & in leg. 1. ff. Pro empt.* Et confirmatur ratione: quia intentio discedentis à lite est, ut omne jus suum transferat in possessorem, ut perpetuo eam non possit habere pro sua: & sic militat textus & dispositio *in dict. leg. qua ratione. §. Interdum, supra, de Acquir. rer. dom. cum similib. supra allegatis.* Et tenendo istam partem, non obstat text. *in dict. leg. Sive apud acta, Cod. de Transact.* Quia responderi posset, quod ibi reus non servavit promissa; unde actor potuit reverti ad actionem & litem primam, argumento text. & quæ ibi traduntur, *in leg. Cum proponas la 2. Cod. de Pactis.* Nec obstat etiam text. *in dict. leg. Si pro fundo, in fin. Cod. de Transact.* Quia ibi tantum dicitur, quod actor non teneatur de evictione, re evicta; & non est inconueniens, quod licet contractus sit habilis ad translationem dominii, ex eo non debeatur evictio, quando ex intentione partium fuit tradere vel recipere tantum jus quod haberet; argumento text. *in leg. Aristo. ff. de Donat. & ibi Bart. Paul. & communiter DD. & notat in leg. 1. Cod. de Jure dot. & per prædicta istam sententiam contra communem opinionem reperio quod tenet Raph. Cuman. qui singulariter & subtiliter loquitur, *in leg. 1. ff. Pro emptor.* Sed licet ejus opinio sustentabilis sit, non est recedendum à superiori communi opinione.*

74 Septimus actus fictus per quem transit & acquiritur possessio, est per appositionem custodis: nam si quis vendat, donet, vel alio titulo alienet aliquam rem, & emptor, vel ille, cui fit alienatio de voluntate alienantis, apponat custodem in illa re, statim transit & acquiritur ei possessio: textus est notabilis *in leg. Quarundam rerum. ff. de Acquirend. posses. cujus verba sunt: Veluti si acervum lignorum emerit, & cum venditor tollere me jussert, simulatque custodiam apposuissem, traditus mihi videtur, & ad hoc notat & commendat Alb. Paul. & communiter DD. ibi: Gloss. & communiter DD. *in leg. 3. eod. tit.* Cujus ratio est: quia factum custodis reputatur factum & apprehensio mittentis, argumento text. *in leg. Qui autem. §. fin. ff. de Const. pecun. & istam rationem ponit solus. Jas. in addit. ad Christoph. in §. Interdum, 2. column. Inst. de rerum divis.**

Adde tamen, quod talis custos debet poni, re existente in præsentia contrahentium: ita probat

bat ibi text. dum dicit: *Et cum venditor me tollere jussert, simulatque custodiam posuissem, &c.* ubi dat intelligere, quod, contrahentes erant in præsentia rei, & similiter custos positus fuit in præsentia rei & contrahentium. Rursus probat ille textus hoc modo: *Nam statim quod venditor dixit emptori ut tolleret rem, apposuit custodem, ut sonant prædicta verba: ergo res erat in præsentia; quia si esset in absentia, non posset emptor statim ponere custodem: & in expresso, quod in isto casu requiratur præsentia rei & contrahentium tempore quo ponitur custos, tenet ibi Glossa penultima, Alber. Angel. Cuman. & Alexand. *in summ. Cod. de Acquir. posses. 2. column. num. 7. Petr. in leg. 1. eod. tit. 2. column. prope finem.* Sed attende, quod iste intellectus non potest esse verus; quia de nihilo serviret custos, cum sola præsentia rei sufficeret, absque custodis appositione, ut *in leg. Quod meo. §. Si venditorem. ff. de Acquirend. posses. & in leg. 1. §. Jussertim, eod. titul. cum similib. & dictum est supra, in primo actu ficto.* Unde, secundus intellectus ad illam legem est, quod ibi res empta erat conclusa in aliqua domo, & non videbatur; unde, tunc per appositionem custodis ante ostium transit possessio propter facilem potestatem apprehendendi: ita tenet ibi solus Joannes de Imol. *in fin. idem Imol. in leg. 3. eodem titul. 1. col. post princip.* sed intellectus iste aperte est divinatorius, ideo nullo modo tenendus.*

75 Tertius intellectus verissimus & notabilis, quem teneo ad illam legem, est, quod ibi non requiritur præsentia rei: unde, si quis vendat vel alienet alteri suam rem, quæ non sit præsens, sed absens, & de voluntate alienantis emptor, vel ille, cui fit alienatio mittat & apponat custodem in ea, statim ac custos pervenit ad rem & incipit custodire, erit ei quæsitæ possessio: nec ille textus requirit aliquo modo præsentiam, imò in dubio numquam præsumitur, ut eleganter tenet & determinat Ant. *in cap. cum venisset de restit. spol. penultim. column. num. 3. & Franc. de Aretin. in leg. 3. eod. titul. 2. col. num. 5.* Nec obstant verba illius text. quæ supra ponderavi: Quia ex eis necessariò non sequitur quod res erat præsens; & dato quod esset præsens, virtus acquisitionis possessionis non

causatur ex visu, sed ex appositione custodis; & ista est intentio illius text. & ita videntur velle Paul. & Cuman. *ibi:* In expresso ita tenet & declarat illum textum singularem Socin. *in dict. leg. 3. eodem tit. 2. col. in fin. & Alexand. 1. column. num. 7. Vincent. column. 6. in princ. num. 15.* & ista est intentio Gloss. *in dict. leg. 3. dum inter actus fictos ponit istum tamquam diversum à visu: Pro qua facit text. in leg. Si ego. §. Dotis, versic. Quid enim interest. ff. de Jure dotium, ubi dicitur, quod dominium & possessio quæritur, & traditio censetur facta, quando de voluntate alicujus res ponitur in domum ejus, & sic sub ejus custodia: idem probat text. *in leg. 1. §. fin. ff. Nautæ caupon. stabul.* ergo idem sit per expressam appositionem custodis. Nec obstat si subtiliter dicas, quod iste actus fictus, & sic appositio custodis nihil videtur operari, nec à jure fuit necessaria ejus inductio; nam talis custos censetur esse procurator mittentis, cum utatur opera & ministerio custodis cui mandat; unde per eum quæritur possessio tamquam per procuratorem: Quia ad hoc notabiliter respondeo, quod est maxima differentia & utilitas: Prima, quia non est necesse quod aliter constet de mandato, sed tantum quod missus sit custos. Secunda & principalior, quia quando quis vult quærere possessionem, necessarius est animus & voluntas ipsius procuratoris, & sic quod intendat acquirere, ut *in leg. 1. §. Hac quæ de servis, & in §. Per procuratorem. ff. de Acquir. posses.* sed quando quis vult quærere mediante custode, non requiritur quod intendat quærere mittenti vel apponenti, sed tantum custodire, licet ignoret ad quem effectum: ita in specie Socin. *in leg. 3. eod. tit. 3. column. in princip. num. 15.* quod est subtile & singulare, nec ita alibi iste pasus est declaratus. (r)*

Ex quo textu & superiori declaratione primò infero, quod si quis emat oves, vel aliqua alia animalia in absentia, & de voluntate venditoris emptor mittat & apponat pastorem vel custodem, eo ipso quod incipit custodire, est ei quæsitæ possessio, & per consequens dominium & omnis alius effectus. Secundò infero, quod si pascua, nemora, vel fundi vendantur alicui, & emptor mittat & apponat custodem pro

(r) Tertio & quidem subtiliter & novissimè quia quando quærit possessionem per procuratorem, non sufficit quærere per visum vel proximitatem rei, vel per quemlibet alium actum fictum, sed necessariò requiritur quod quærat per actum verum & naturalem apprehensivum possessionis, scilicet ingressum rei in rebus immobilibus, & apprehensionem in rebus mobilibus; sed quando quæritur per custodem, sufficit quod talis custos perveniat in præsentiam rei, vel proximitatem ejus.

pro herba vel fructu conservando, statim censetur quæsitæ possessio & effectus ejus. Tertiò infero, quòd si quis emat, vel alio titulo acquirat castrum vel fortalium, & mittat & apponat custodem, statim ac ingreditur custos & incipit custodire erit quæsitæ possessio: & in specie ita determinat Bald. in leg. Traditionibus, Cod. de Pactis, 2. column. in princ.

76 Octavus actus fictus per quem transit & acquiritur possessio, est, per signationem rei: nam si ex grege vendantur tot capita vel animalia in genere, & sic noc certa nec determinata; vel ex nemore vel sylva tot trabes vel ligna; & postea de voluntate venditoris in præsentia vel absentia signentur, statim censetur facta traditio, & quæritur dominium & possessio emptori, & transit ad eum periculum rei: iste est textus singularis in leg. Quod si nequam, in fin. ff. de Peric. & commod. rei vend. cujus verba sunt: Videri autem trabes traditas quas emptor signasset, & ad hoc notat & commendat ibi Gloss. ordinaria, Bald. & communiter DD. & commendat Salyc. in leg. Lectos, eod. titul. & ad hoc notat etiam & commendat Bald. in rubr. Cod. de Peric. & commod. rei vend. 1. column. post princip. Salyc. qui notabiliter loquitur, in leg. fin. eod. titul. fin. quest. num. 6. Jas. in leg. Traditionibus, Cod. de Pactis, 2. column. in fin. idem Jas. in leg. Quoties, Cod. de Rei vindic. 4. column. in 6. limit. princip.

77 Attende tamen circa hoc, quia esset notabile dubium, an eo ipso quòd aliquod animal, puta equus, bos, vel ovis, vel alia res reperitur habere signum meum quo utor signare, probetur esse mea? Et videtur quòd sic, argumento text. singularis in leg. Stigmata, in princ. Cod. de Fabricensib. lib. 11. ubi dicitur, quòd fabricensibus imponebatur signum in brachiis, ut ex eo possint, si latitaverint, agnosci: idem probat text. in leg. penultim. versic. Sic universos, Cod. de Aqueduct. eo lib. 11. bonus text. in cap. Si iudex, versic. Justum est enim de sentent. excommun. lib. 6. facit etiam illud Lucæ 20. cap. Ostendite mihi denarium, cujus habet imaginem & inscriptionem? & respondentes dixerunt Casari: & ait illis, Reddite ergo quæ sunt Casari Casari, & quæ sunt Dei Deo, & in expressò ita tenet & determinat Bartol. in dict. leg. Stigmata, & ibi Lucas de Penna, 1. column. post medium. Contrarium tamen tenet ibi Plat. 1. column. quia de facili posset fraus committi, & probatio non videtur concludere necessariò: Item ex eo, quia potest quis alieno signo signare, ut in leg. Ad testamentum. §. Si ab ipso. ff. de Testament. Unde dicit ipse, quòd licet non sit plena probatio, erit tamen optima præ-

sumptio, argumento dictorum jurium: Et ista opinio mihi placeat; & sic juncta cum aliis probaret, argumento leg. Quæro, §. fin. de Adit. edict. & text. & eorum quæ ibi notantur, in cap. fin. de Success. ab intest. & doctrinæ Bartol. in leg. Admonendi, de jurejur. 8. column. num. 48. & ibi DD. Nec obstant jura superius adducta: Quia procedunt in signo publico & determinato, ex quo per legem est inducta probatio; secus in signo privato, per superiorem rationem. Nec obstat quòd habetur Luc. 20. cap. Quia ibi Domino Deo nostro notissimum erat, quòd illud denarium & ejus imago esset Cæsaris, & ideo ei applicabat: Præterea, ibi loquitur in signo & imagine Imperatoris vel alicujus Principis, & illud non potest poni ab alio privato in sua re, & sic videtur signum unicum & indubitabile quòd uni personæ applicari potest, idè probat, argumento text. in leg. 1. & 2. Cod. Ut nemo privatus titulos suos præditi suis vel alienis imponat, vel Vela regia suspendat, & ibi DD. Dicit etiam Plat. unum notabile in dict. leg. Stigmata. Quòd optimus officialis & peritus in arte poterit prohibere alium uti suo signo, quia interest ejus propter sui operis bonitatem, ne alius imperitus in arte utatur tali signo, ne inducatur operis confusio, argumento text. in capit. Nonnullis de Judais, & tenet expressè Bartol. in tract. de Insignibus & armis 2. column. num. 9.

78 Nonus actus fictus per quem acquiritur possessio, est, per clausulam constituti: nam si quis, præcedente titulo habili ad translationem domini, puta si vendat, donet vel alio simili titulo alienet suam rem, & constituat se eam possidere nomine ejus cui fit alienatio, statim transit & quæritur ei possessio, & per consequens dominium, vel usucapiendi conditio, nullo actu traditionis interveniente: textus est subtilis & notabilis in leg. Quod meo. ff. de Acquir. posses. cujus verba sunt: Quod meo nomine possideo, possum & alieno nomine possidere, &c. facit text. in leg. Qui bona fide, eodem titul. text. in leg. Si quis ante, eodem titul. text. in leg. Quædam mulier. ff. de Rei vindication. text. in cap. Cum venisset, de restitut. spoliat. ibi: Cum sicut cautum est is possideat cujus nomine possidetur, text. in cap. Si diligenti, de præscrip. ibi: Et is etiam possidere dicatur cujus nomine possidetur, & idem disponit lex 9. in fin. titul. 30. 3. part. & ratio vera & mentalis est: quia ille qui se constituit nomine alterius possidere, in continenti, id est, in ipso actu constitutionis videtur insistere rei & eam habere & tenere nomine ejus, & tamquam ejus procurator: unde, statim sibi quæritur possessio, & constituens remanet in simplici

&

& nuda detentatione: sicut ergo procurator de novo apprehendens possessionem, illam in continenti quærit domino, ut in leg. 1. §. Per procuratorem. ff. de Acquir. posses. in leg. 1. Cod. eodem tit. in leg. Per procuratorem, eodem titul. text. in leg. 1. Cod. Per quas personas, text. in §. Ex illis itaque apparet, Institur. per quas personas nobis acquiri. text. in cap. Accedens, de præbend. cum similib. ita eodem modo constituens acquirit ei cujus nomine se constituit possidere: Istam rationem apertè probat text. in dict. leg. Quod meo 1. ibi, dum dicit, sed desino possidere, & alium possessorem ministerio meo facio: nam procurator in quærenda possessione tantum operam, ministerium, seu instrumentum corporis ponit, quo mediante ipsa possessio quæritur domino: Secundò probat ibi, dum dicit: Procurator alienæ possessionis, præstat ministerium, & sic ille versiculus videtur adductus per Consultum in similitudinem & rationem decisionis textus, denotando quòd constituens censeatur esse tamquam procurator: & istam rationem voluit Bartol. licet sic non declarat, in dict. leg. Quod meo, 1. column. post princ. versic. Ad hoc respondet quòd procurator, &c. Angel. Imol. & Roman. in princip. & magis in expressò Franc. de Aretin. in princip. 1. notabil. Cuman. fin. column. in medio. Paul. de Castr. in leg. Julianus. §. Ex vendito, fin. column. num. 7. ff. de Acton. empti.

Pro cujus perfecta declaratione dico, quòd si constituens possidebat civiliter & naturaliter, transfert in eum cujus nomine se constituit possidere utramque possessionem, tam civilem, quam naturalem, per rationem superiorem: ita Bartol. in dict. leg. Quod meo, 2. column. num. 3. & est communis opinio: Pro qua facit text. ibi sic inductus: Nam possessio simpliciter prolata intelligitur de civili & naturali, nisi secundum subjectam materiam aliud debeat dici: Ita probat text. in leg. 1. eod. titul. & est doctrina Bald. in leg. 1. in princip. Cod. Commun. de usucapion. tenet notabiliter Ludov. Roman. in leg. 3. §. Ex pluribus, 2. column. in princip. ff. de Acquir. posses. melius quam alibi Aretin. in Rubric. eod. titul. 2. column. num. 2. Sed textus ille simpliciter & in distinctè dicit, quòd transit possessio: ergo intelligatur utraque: est Glossa, juncto text. in leg. 1. Cod. eod. tit. in gloss. 3. tenet Cuman. in leg. Naturaliter. 3. §. Nihil annui re 6. column. in fin. & ante omnes Bartol. 3. column. num. 12. pro qua sententia allegat ibi Bartol. textum in leg. 2. §. Quod vulgò. ff. Pro hærede, text. in leg. 1. §. Deicitur. ff. de vi & vi armata.

Similiter procedit & habet locum, quando constituens tantum naturaliter possidebat, ut

quia esset ingressus rem, alio civiliter possidente in absentia, vel esset fructuarius, vel haberet rem precariò, vel ex alia causa sit penes eum possessio naturalis, ut dixi: nam istis casibus, si constituat se nomine alterius possidere, transfert in eum illam possessionem naturalem solam quam habebat: ita probat textus notabilis in leg. Interdum. §. fin. eodem. titul. ubi est casus, quòd si quis habebat rem precariò, (quo casu regulariter est penes eum possessio naturalis, ut in leg. Et habet. §. fin. vers. Placet, infra, de precario cum similib.) & eandem rem ab eodem a quo habuit, vel alio conducit, statim transfert in eum illam possessionem naturalem, quæ penes eum erat: & ad hoc notat illum text. Bartol. Paul. Joan. de Imol. & Alexand. & per illum textum tenet etiam Paul. de Castr. in dict. leg. Quod meo, 2. column. in princ. & est de mente omnium DD. Pro qua sententia facit textus notabilis & subtilis in leg. Pomponius, versic. Quamquam. ff. Quibus modis usufruct. amittatur, ubi est casus, quòd si usufructuarius, qui tantum habet possessionem naturalem, conducit usum fructum fundi domino, vel alteri, imò etiam si conductor alteri conducit, retinet fructuarius suam possessionem naturalem per conductores: ergo eodem modo, ille qui tantum naturaliter possidet, si constituat se possidere & tenere illam rem nomine alterius, poterit in eum transferre prædictam possessionem.

79 Similiter procedit & habet locum, quando constituens tantum civiliter possidebat, ut quia esset absens in absentia longinqua: nam si, præcedente aliquo titulo habili ad translationem domini, constituat se nomine alterius possidere, statim transfert in eum prædictam possessionem civilem quam habebat: ita probat text. singularis in leg. Quædam mulier. ff. de Rei vind. ubi dicitur, quòd mulier quæ donavit fundum erat absens ab ipso fundo; & tamen, conducendo a donatario mediante nuntio vel epistola, transfert in eum possessionem; ergo solam civilem transtulit, cum aliam non haberet in absentia: & per illum textum ita tenet & determinat Bartol. in dict. leg. Quod meo, 2. column. num. 3. Paul. de Castr. 2. column. versic. Item tertio. Cuman. 3. column. Alexand. 4. column. num. 17. & Aret. in leg. Interdum. §. fin. 2. column. eod. titul. Anton. in cap. Cum venisset, de restitut. spol. penult. column. prope finem, & est de mente Innoc. & omnium DD. ibi: Anton. in cap. 2. de Consuetud. 3. column. num. 28. Abb. penult. column. num. 14. tenet etiam Hostiens. Joann. Andr. Cardinal. Ancharran. Abb. & communiter DD. in cap. fin. de Precariis, & ista est com-